Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26564
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Mens [ter]scendens visibilia. secundum naturam intelligit res per medium sensum. Sed neque mens malum est. neque secundum naturam intelligere. neque res. neque sensus. Dei enim sunt hec opera. Quid ergo est malum? Vicium nimirum est intellectus secundum naturam. quod potest non esse in intellectuum usu. si mens [non] vigilat.

Vicium est motus anime preter naturam. aut ad amiciciam irracionalem. aut ad odium indiscretum. aut alicuius. aut propter aliquid sensibilium. Verbi gratia. ad amiciciam quidem aut escarum irrationabilem. aut mulieris. vel opum. vel glorie pretereuntis. aut alicuius alius sensibilium. vel propter hoc. Ad odium autem verbi gratia. aut alicuius eorum que predicta sunt. sicut dictum est indiscretum. aut ad aliquem propter hec.

Aut rursus malicia est aberrans iudicium intellectuum. quam sequitur abusio rerum. Verbi gratia. sicut in muliere. rectus usus coitus intentione generande prolis. Qui ergo ad voluptatem respexit. aberravit circa iudicium. quod non est bonum bonum arbitratus. Hic nimirum ergo abutitur muliere coiens. malis quoque rebus similiter et intellectibus.

Quando mentem tuam demones eicerunt a so